









Q. B. F. Q. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# AETHIOPE MINERALI,

---

QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ALMA STUDIORUM UNIVERSITATE ALTORFINA  
PRO LICENTIA  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI

A. D. XVI. OCTOBR. MDCCXXV.

H. L. Q. C.

PUBLICAE DEFENDET  
IOANNES FRIDERICUS SCHROMMIUS,  
CREILSHEMIA - ONOLDINUS.



---

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

MINERALIEN  
AFRIKA



00 A 6326



Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

D E

# AETHIOPE MINERALI.



raclare HIPPOCRATES, *Libro de arte*,  
judicare semper mihi visus est, cum in hunc  
modum scribit: *Eorum aliquid, quæ nondum  
inventa sunt, invenire, quodque invenisse quam  
non invenisse præstiterit; similiterque imperfecto ad finem  
deducere: id mihi videtur illius esse munus, qui intelligendo  
existimari experit.* Ita scilicet comparatum est cum  
arte medica, ut cum aliis omnibus, multa ut agiten-  
tur, quæ vel nunquam, vel post longum demum  
tempus, peragere, & ad aliquem perfectionis gra-  
dum deducere, liceat. Copia rerum obruimur,  
animus sæpe præjudiciorum nebulis quasi obvolu-  
tus sero demum investigationis negotium absolvit,  
quod negotiorum quotidianorum turba subinde in-  
terpellat & contemplationi ferias ingratas injungit.  
Multos experiendi rarior occasio a progressibus opta-  
tis detinet, nec paucos in medio experiendi studio  
vitæ brevitatis aufert, ut imperfectum opus relin-  
quere debeant, cui satis raro hæres idoneus, qui  
vel possit vel velit ulterius progredi, obtingit. Quis  
itaque vitio cuiquam, memori quod non nobis so-  
lum nati simus, vertat, si pro sua quisque virili par-  
te perfectioni artium, quibus se consecravit, incum-  
bat? Et cum nova invenire non sit cujusvis, nec,  
A 2 si quid




si quid novi etiam videamur tenere, prudentia permittat publico ante exponere, quam res satis explorata & ad aliqualem maturitatem perducta sit: quis non laudaverit illorum studium, qui aliquid jam ante propositum perficere, usibusque certis applicare, & quantum operæ pretium fecerint publico exponere allaborant? Faciunt hoc numquam satis laudando studio, ut alios jam taceam, Britanni, qui rudem variolas implantandi artem, ex Thracia & Asia non ita pridem acceptam, amplissimo suæ nationis fructu perficiunt, &, si quid auguror, totius Europæ incolis auctores futuri sunt, ut idem compendium consequantur, forte etiam ad alios morbos transferant. Eorundem studio futurum speramus, ut calculum vesicæ in pubis regione secandi extrahendique methodus, a *Francisco ROUSSETO* aliisque olim agitata, &, ut multa credere jubent, altera passim recepta longe minus periculosa minusque difficilis, luci plenæ sistatur. Mihi quidem non licet tam præclara spe exultare, tamquam ipso hoc primo specimine novum quid, rei medicæ bono, proferre valeam; quin merito deprecor illam suspicionem novitatis quæsitæ: id vero opto consequi, ut lectores, si qui futuri sunt, vires benignissimi & in nostra patria nondum pro dignitate sua frequentis remedii, quod laudandum suscepi, recte inspiciant, & qui antea salutarem ipsius usum forte fan- do acceperunt, de veritate autem assertorum dubii sunt, aut adhibendi rectum modum ignorant, quantum ad convictionem vel instructionem necesse est, ex hac commentatione assequantur.

§. I.





§. I.



Ethiops mineralis, ut in ipso statim limine declarem quid sit de quo agatur, est pulvis niger, ex argento vivo & sulphure paratus, omnium, quotquot sunt mercurialium medicinarum facile turissimus, & magnarum virium ad varios morbos cito, tuto, & jucunde percurandos. Plura non reperio, quæ ad nominis declarationem, quam instituimus, ut primo de inventore & ætate medicinæ parum delibemus, deinde præparationem tradamus, tum de viribus agendique modo exponamus, denique de his dicta testimoniis & exemplis comprobemus, tandem dubitationibus & objectionibus quibusdam respondeamus.

§. II.

Si remediorum bonitas ex antiquitate ultima judicanda esset, nostrum certe non adeo magnam laudem meretur: quippe quod vix antiquius sæculi XVII. initis suspicari licet. Ex omnibus enim, quos videre licuit, auctoribus, qui se eo usus esse prodiderunt, antiquissimus

mus est medicorum sui temporis, sive originem illustrem, sive artis opera spectes, facile nobilissimus *Theodorus Turquetus de MAYERNE*, (\*) primo Henrici Galliarum, & deinde Jacobi I. & Caroli I. Britanniae Regum, medicus, quem ob chemicorum remediorum amorem Galli exagitatam in Britanniam compulerunt, ut ibi gloriam & divitias amplissimas consequeretur. Huic viro vivo quidem non licuit, vel non libuit, suae praxeos specimina multa, scriptis mandata, emittere: protracta tamen sunt a morte ejus in lucem, quae diu delituerant, pulcherrima monumenta, & haec inter quae inscribitur *Praxis MAYERNIANA*, in qua & aethiopsis mineralis virtus albo calculo notatur, & praeparatio docetur. Quid ibi legatur infra adducendi commodior locus erit: nunc, ne gratum declarandi animum occasionem dimittam, profiteor, indicationem hujus viri fecisse nobis Excellentissimum D. D. BAIERUM, medicinae professorem primum, cui, praecipitatori & patrono de me optime merito & aetatem colendo, infinitas me debere grates libentissime meritoque profiteor.

## §. III.

(\*) De hoc viro meretur legi BAYLE in diction. historic. critico. Natus est prope Genevam 1573. Heidelbergae & Monspelii medicinam didicit, & 1597. doctoris gradum consequutus Parisiis abiit: sed ob chemiae non minus amorem, quam ob reformatam religionem, hostes plures habuit, socio factorum *Josepho QVERCETANO*. Factum hinc fuit, ut noster in Angliam vocatus post mortem Regis Galliae Henrici abiret: ibique usque ad An. 1655. quo vitam hanc reliquit, gloriose & tranquille vixit. Subinde ejus meminit, sed pro more suo, PATINUS in epistolis.

## §. III.

Vero admodum simile est, alios medicos, qui vel a MAYERNIO vivo usum medicamenti didicerant, vel scriptos ipsius libros inspexerant, quum experiendo egregias ipsius vires didicissent, propagasse idem ad alios: sed quem nomine laudemus suo, neminem invenimus præter *Georg. BATEUM* Regis Britannia Carol. II. archiatrum celeberrimum, cujus pharmacopœia eodem anno, quo praxis MAYERNIANA, in lucem edita tandem fuit, medicinarum optimarum dives sane penu, ut non immerito toties typographorum operas ex illo tempore exercuerit. Huic viro in frequentiori usu fuisse æthiopem mineralem adjecto asterisco admonemur. Atque ex eo tempore apud plures auctores non rara ejus mentio occurrit, quos hic indicare opus non viderur, quum inferius adducendi tempestive fuerint.

## §. IV.

Videbitur fortasse nimis in supputanda origine hujus medicinae aberrasse, si quis cogitet, quam longo & fere immemorabili tempore in usu sit cinnabaris factitia, cujus rudimentum esse æthiopem mineralem, satis esse notum debet omnibus rerum pharmaceuticarum & chymicarum vel mediocriter peritis, attamen non putavimus satis secure concludi posse ab eo, quod medicina aliqua alio scopo præparari jam diu consuevit, ad omnes ipsius usus: quum nimis multa in chymicis præparationibus occurrant satis antiqua exempla productorum, quæ non nisi satis sero ad usum medicum vocari cæperunt; quod vel ipsius cinnabaris factitiæ exemplo probari potest, quam nostra ætate intrepide multi substituunt nimis pretiosis nativæ & antimoniali, sequæ non minus bene  
ratio:

rationibus tuentur, quam factum ipsorum ab experientia probatur.

## §. V.

Quisnam MAYERNIUM, cum socio suo QVERCETANO, ad chemicarum medicinarum amorem inflammaverit, quisve seorsim mercurialium usum edocuerit, non vacat nunc accuratius inquirere: sine dubio tamen ipsi præluxerunt tum Itali quidam, ex quibus BRASSAVOLUS usum internum ad tineas ventris necandas, & *Facobus* BERENGARIUS Carpenfis, externum, ad curationem luis venereæ, indicante *Jo. RENODÆO* in dispensatorio medico, capite de hydrargyro, primi præmonstrarunt: tum Germani nostri, qui a *Theophrasto PARACELSO* ad studium chemiæ primi fuerunt instituti, inque eo liberius ardentiusque versati, Gallorum magna ex parte præceptores fuerunt, aperte profitente, grateque animo celebrante *Josepbo QVERCETANO* aliisque Gallis minime diffidentibus, usque adeo, ut & osiores chemiæ per contumeliam Germanis exprobraverint, turbatores pestesque medicinæ, quo nomine MAYERNIUM, QVERCETANUM, horumque similes exagitabant, ab ipsis exiisse.

## §. VI.

Sed, missa hac inquisitione, potius nunc dispiciamus de præparatione Æthiopis mineralis, quam in formulis medicamentorum MAYERNII priorum, in calce PRAXEO MAYERNIANÆ, ita traditam legimus. Rec. Mercur. unc. iv. sulphur. pulverifat. unc. viij. Pone supra ignem, semper movendo usque ad consumptionem sulphuris. Ab hac descriptione non abiit *Georgius BATEUS*, qui duo hæc mineralia, eadem, ut supra, propor-

portione exactissima mixta incidere jubet, & sic parare pulverem nigerrimum. Sed *Gualterus* HARRIS in suo de morbis acutis infantum libro p. 136. reprehendit præparandi hanc rationem, & meliorem, de qua mox dispiciemus, indicat.

## §. VII.

Nimirum premitur hæc præparatio multiplici incommodo. Dum enim flamma, quam sulphur concepit, argentum vivum exagitat, non solum multas particulas servi huius fugitivi, sub vaporis forma, dissipat, verum etiam non paucas cum fragore disjicit & explodit: unde præter jacturam medicinæ, etiam periculum valetudinis aliquod imminet elaboranti, illosque fumos cum aëre attrahenti. Accedit & aliud duplex incommodum respectu vasorum: sive enim fictile plani fundi accipias incrustatione vitrea tectum; illa incrustatio facile liquefcit aut alias abscedit & medicinæ permiscetur: sive non incrustatum sumas; sulphuris liquati portio per poros ejus intrabit & secum non parum mercurii abripiet. Porro proportio sulphuris in hac præparatione omni intuitu nimia est, longiorique deflagrandi mora plus incommodi parit: quæ ratio *Nicolæum* LEMMERY movit, ut par mercurio pondus sulphuris adsumeret: neque tamen immunis ab illis, quæ recensuimus, incommodis manere potuit. Legere juvabit ejus Cours de Chymie p. 223. seq. edit. decimæ Paris 1713. Addi potest, quod & ipsa medicina ingratum empyreumaticum saporem ab illa sulphuris combustionem acquirat; ipsaque sulphuris deperditio, quam effectus laudabilis non exiguam partem tamen sustinere debeat, minime sit æquo animo ferenda.

## §. VIII.

Progredimur ad emendatiorem præparandi rationem ab HARRISIO traditam. En ejus verba: præparationem

B

æthio.

æthiopsis nostri mineralis, utpote apud nullum auctorem, quod scio, legendam & usui multiplici, ut opinor, futuram, describere non grauabor. Rec. Hydrargyri p. IV. flor. sulphuris p. iij. agitentur in mortario vitreo, donec omnes globuli mercuriales penitus evanescant, & massa redigatur in pulverem fuscum tenuissimum, qui paululum asservatus maxime nigrescit. Hanc methodum pharmacopœis sequendam præscripserunt auctores Dispensatorii regii & elector. Borusso-Brandenburgici p. 3. Ejusdem meminit LEMMERY I. c. p. 225. Sed ingredientium proportionem haud mediocriter mutat, quando ad mercurii partes duas, tres sulphuris jubet adsumere. HARRISIUM & Brandenburgicos, maxime autem LEMMERYUM, deseruit *Fvo* GAUCKES praxeos chirurgico-medice Cap. XXIV., quod de lue venerea inscribitur p. 210. qui præparare Æthiopem mineralem sequentem in modum jubet: Rec. sulphuris commun. unc. j. cui in vase incrustato liquefacto admisce argenti vivi unc. ij. & commove spatula ferrea donec arg. viv. plane dispareat. Tum hanc massam nigram in pulverem subtilissimum redige, qui æthiops mineralis est. Hæc descriptio a superioribus non differt, nisi elaborationis compendio & ponderibus. Non enim requiritur sulphuris accensio & deflagratio, sed tantum simplex liquatio lenissimo igne peragenda: qua via facilem esse permixtionem experientia docet. Sed longe faciliior est, si post primam mercurii admixtionem fistile ab igne mox removeas, &, refrigeratum prius, deinde tantisper prunis reddas, ut fundus parum incalescat, emollitaque materia subagitari possit: quo facto vel super porphyritem, vel in mortario vitreo aut marmoreo, facile in pulverem redigetur.

## §. IX.

Vidimus quid auctores diversi de conficiendo hoc pulvere doceant. Equidem nullam adductarum præparationum prorsus repudio, quum ad unum omnes conspirent finem, ut mercurii vivi globulos, interpositis particulis viscido-ramosis sulphuris, disjungant, ipsæque mercuriales, cum sulphureis amico nexu combinatæ, operationem salutarem in corpore peragant. Nec illam diversitatem proportionis absolute accuso & rejicio, si medicus scopo diverso curationis, vel majorem a sulphure, vel a mercurio potentiorum opem expectet, & subjectorum diversitas temperare qualitatem medicamenti jubeat. Pro ordinario tamen usu puto convenientissimam esse illam, quæ proportionem sulphuris eam habet, ut globulis mercurialibus disjungendis tantum sufficiat; id est eam, quæ sulphuris dimidiam partem, aut minus etiam, adhibet.

## §. X.

Vix credo, quemquam in dissertatione medica requisitum esse accuratam ostensionem ætiologicam, cur mercurius in hac operatione nigredinem assumat. Causam esse sulphur admixtum nemo ambiget: hoc enim mercurio nuptum, si copiosum addatur, nigram, si parum & tantum disjungendis globulis sufficiens accedat, ut in cinnabari, rubram ipsi faciem comparat. Colorum autem rationes subtiliores qui desiderat, philosophorum scholas adeat: nos interim videbimus, quas vires ab æthiope nostro, cui copiosum sulphur nigredinem, nigredo nomen dedit, expectare liceat.

## §. XI.

Hoc vero scrutinium ut feliciter succedat, opus est seorsim, sed paucis, considerare, quid mercurius vivus, quidque sulphur, interno usu, per se præstare valeant: quo fa-

Et o facilius erit iudicium de eo, quod vis unita possit efficere. Primo quæremus de hydrargyro, quod quidem ab accusatione venenositatis ita hodie absolutum est, ut in quibusdam casibus ad plures uncias bibendum innoxie porrigatur, eo effectu, ut hoc celerius per alvum redeat, quo plus dederis, eodemque corpus minus alteret, nisi forte fæces, quæ obstaculo fuerant, aut vermes expellat. Si vero exigua dosi, & admixto, quo promptus progressus impediri possit, porrigas, idque sæpius repetas brevibus intervallis, humores nostros subit, vimque suam resolventem, colliquantem, aperientem in lymphaticis potissimum humoribus, ut & lymphæ colatorii, exferit, specialissimeque in vias salivales agit, ad quas plurimum humorum compellit, copiosèque inde exprimit. Neque id solum facit vivus mercurius: verum pleraque ejus præparata, si usum diutius instituas & prosequaris, ad ptyalismum excitandum prona & prompta sunt. Hac lymphæ fluidificatione & glandularum apertione, & quod consequi necessarium est, lymphæ ad organa colatoria crebriori appulsu & traiectione, tandem vincere, concurrente motuum vitalium robore, valet, graves morbos & specificè quidem virus venereum, si modo ullus medicinæ locus superest, debellare. Seorsim inimica mercurii natura lumbricorum cuivis generi deprehenditur, adeo ut ad vincendos & rejiciendos illos nihil æque certum ac probatum sit mercurii virtutibus.

## §. XII.

Unde mercurio tam egregiæ vires consent, quoque principio virus venereum seorsim proffiget, quo ve ingenio ad salivalem laticem præcipue commovendum ruat, fateor me non satis capere, nec vereor libere accusare ingenii tarditatem, quæ, in subsidium etiam adhibitis iis, quæ doctif-  
sumi



fimi viri ad problematis hujus solutionem protulerunt, nondum valet multis, quæ supersunt, dubiis satisfacere. Qui directionem noxiorum humorum ad partes salivales, & excretionem, non tantum miasmatis venerei, sed & ipsius mercurii, per salivam, a principio quodam agente & sapiente non posse non derivari nuper scripserunt, & ptyalismum actum pure mechanice interpretari & pro passiva fluxione habere se non posse profitentur: hos vero, nisi hypothese nimis adamant, dubitare de suo adserto opus est, si serio cogitare velint, qui fiat, ut nullum in rerum natura ad hunc usque diem reperiri potuerit remedium, nulla curandi methodus, qua ptyalismum excitare liceat, si a mercurialibus discesseris: & qui fiat, ut tamen æthiops mineralis, magnis dosibus sæpeque repetitus, non faciat unquam salivationem, quum tamen sit medicina mercurialis & veneream luem etiam extirpet? Qui fiat, ut duros, antiquos magnos tumores colli & circa aures insensibili modo resolvat, anima interim sapiente numquam ex tam propinquis excretoriis, tamquam proxima via, excretionem moliente? Sed quam rationem putemus hujus differentiae æthiopsis & aliorum mercurialium dari posse, nondum hic est dispiciendi locus. Agendum consideremus prius, quid sulphur per se valeat.

## §. XIII.

Sulphur quod in æthiopsis præparatione accedit, vel est crudum, ut a matricæ extractum est, si purum & laudabile obtingat: vel, si volumus purissimum, licebit nulla re ab ejus natura discedentes flores adhibere. Est autem laus sulphuris meritissima, quod, siue crudum, siue flores ejus, periphericam excretionem omnium certissime promoveant, adeoque in scabiosis aliisque cutaneis excretionibus, si aliquo errore retropulsæ fuerint, omnibus aliis remediis cerræ

opis fiducia palmam præripiant. Atque hoc etiam intuitu in catarrhalibus affectibus a transpiratione cohibita pectori enatis, nullum est certius, quam a sulphuris usu, præsidium. Etiam extra illum casum retropulforum exanthematum, scabiosis, pruriginosisque affectibus, si usum circumspicere satisque diu continues, percurandis solum sufficit, quod WIL- LISIUS de medicamentorum oper. Sect. III. Cap. 6. testatur his verbis: Sulphur adeo specificum psoræ antidotum est, ut pauperes & plebeji contra affectum istum tantummodo sulphuris pulverem cum lacte intus sumant, & cum butyro exterius adhibeant. De virtute anthelmintica quædam affert D. D. RIVINUS in Diss. de pruritu exanthematum ab acaribus §. 54. 55. quibus addi potest locus notabilis MAYERNII infra exhibendus.

#### §. XIV.

Possent plura de laudibus sulphuris dici: sed mature cogitanti visum est omnia demum redire ad jam dicta: quare brevitatis studio nihil addo, transeoque ad exponendum æthiopis vires ex combinata duorum efficacissimorum remedium virtute resultantes. Suadet igitur ratio a priori, æthiopem mineralem habendum esse remedium efficax aperitivum, quod mercuriali suo principio lymphaticis humoribus, (dico ipsam lympham κατ' ἐξοχήν, tum genitales in testibus, vesiculis seminalibus, prostaticis liquores) fluiditatem reddat, eorum crasin corruptam emendet & instaureret, organa autem tum secretioni tum depurationi constituta, si obstructa sunt, indeque intumescunt, expediat: porro quod in universo corpore glandulosa omnia colatoria, ut & membranas, pituitariam narium, faucium, palati, eamque, quæ asperam arteriam & bronchia intus investit & obtegit, & per quam non minima pars humorum se- & excernitur; si quando

do illa excretio suppressa est, aperit, eodemque catarrhales plurimas molestias, maxime compendiaria via, emendet, multorumque morborum radices feliciter succidat. Ratione virtutis, quam a sulphure habet, ad peripheriam pellendi quicquid vitiosum est, impuritates omnes, quas mercurius bene mobiles successively reddidit, hoc uno loco maxime securo, minime incommodo, sæpe dum non sentimus quicquam, excludit. Utriusque virtutis conjuncta ope lumbricos, & alios in corpore vermes, enecabit. Denique ab enarratis morbis, tamquam novis causis, enata & pendencia vitia, quæ ordine inferius exponentur, propulsabit.

## §. XV.

Quas vires ex natura medicamenti recte perpensa a priori, ut loqui solemus, collegimus, easdem ipsi inesse omnes experientia, a posteriori comprobar, hocque simul edocet, quod operationes tot exoptatissimas sine strepitu, sine dolorifica molestia, sine nausea, vomitu, alvi fluxu, & quod præcipue verum & præcipue laudandum est, non solum sine salivatione, sed & sine salivationis rudimentis, peragat, modo expleantur conditiones æquissimæ, nullamque molestiam adferentes, quas, circa hanc curationem tenendas, inferius exponemus.

## §. XVI.

Antequam ad illarum conditionum, sive mavis, legum curationis hujus expositionem progrediamur, dicemus quid nobis verosimillimum videatur de modo, quo in hac medicina fieri possit, ut salivationis effectus, qui aliorum mercurialium diuturnum usum consequitur, non eveniat aut potius evenire non possit. Nimirum admirabili forte contingit, primis medicamenti inventoribus in animum venire, ut sulphur periphericæ excretionis arbiter, mercurio, humores  
in

in genere fundenti & colliquanti, jungeretur, tamquam hodegus, qui per quam viam a se scilicet reclusam & patefactam, ad exitum tendere debeant colliquati humores, dirigit & deducit. Hoc vero quum non, aut non æque, fiat in ullo alio nobis cognito mercuriali remedio, nil mirum esse debet, si humores colliquati ad illas maxime partes ruant, quæ maxime patulas vias habent, vel intestinales, quod non rarum est, vel quod frequentissimum observatur, salivales. Cognoverunt hoc, nisi fallor, illi qui mercurium dulcem salivandi scopo exhibent: quippe sedulo cavent, ne dosis ad laxandum sufficiens offeratur, &, ut tutiores sint, nonnulli eorum, fatente *Martino LISTERO*, Britanno medico ex celeberrimis, *Exercitaz. de Lue venerea p. 187.* adjiciunt aliquod medicamentum adstringens, ut, evacuatione per alvum impedita, dum in corpore diutius moratur, proximum excretionis facilitate locum, vias puro salivales, eo certius inveniat.

## §. XVII.

Ne quis autem bona fide de salivatione non metuenta testantibus fidem habere cunctetur, utque lectorem nostrum testimonia ulteriora requirendi molestia sublevemus, placet immo necessarium videtur, virorum exceptione majorum fide hanc rem, ut loquuntur, facti confirmare. Audiemus primo Britannum jam supra laudatum *HARRISIUM*, qui *l. c. p. 137.* hunc in modum infit: præparationem hanc ceteris mercurialibus ut plurimum anteferre soleo, tum, quia qualicunque quantitate, & quotiescunque, exhibita salivationem nunquam provocat, quæ tenerrimis naturis neque convenire potest, neque inexpectata citra horrorem adstantium summum umquam conspicitur: tum quia simplici ac naturali modo perficitur, absque aliquo auxilio artis nimio opere curiosæ, quæ medicamenta nullo loco numerare solet,

folet, nisi ignium luculentorum torturæ ea prius commiserit, quo scilicet puriora & a sordibus, nescio quibus, ingentis defæcatoria illinc fiant, quum tamen ex optimo statu, & naturalibus eximiis facultatibus pollenti, in deteriores, minus tutum, ac prorsus novum, eadem non raro transmutentur. Subjungo alterum ex Britannia testimonium, quod nimirum pharmacopœæ Bateanæ claris litteris adscribitur Laconicum: pyalismum non movet. Tertium testimonium dicat Batavus *Pvo GAUCKES*, qui *l. c. p. 210.* quum ad curationem luis venereæ requisivisset sal aliquod mercuriale, quod lene sit, nec vomitum, nec sudorem, nec salivam, nec alvum cieat: continuo subdit: cujusmodi est æthiops mineralis, cetera. Addimus quartum Gallum, *Nicoloum LEMMERV*, huncque potissimum ne causæ diffusi omisisse ipsum videremur, quum tamen supra citare eum placuerit. Is vero quum pro more, post traditam conficiendi rationem, virtutes æthiops nostri indicare vult, inter alia addit: il agit principalement par la transpiration & rarement par la salivation. Utrum umquam hic autor ab hac medicina vere observaverit salivationis effectum, in medio relinquo: si vidit pro oppido rarissimo accipio, simulque provocho ad praticos, qui non raro medicamentorum millies spectatam uniformem operationem in certis individuis heteroclitam observant: ipsique novimus, ne a morbo venereo, novissime dicto, multum recedamus, ægroto cuidam cataplasma e cepis assatis, quod mille bubones maturavit, uni subjecto eodem, quo applicatum fuit, die, rotum discussisse, & gonorrhœam reddidisse, nulla arte revocabilem visam. Sic multis vomitoria alvum tantummodo movent: fortiora vero purgantia non nisi sudorem expellunt.

C

§. XVIII.



## §. XVIII.

Ut vero tandem edisseramus conditiones, quibus æthiops mineralis spei respondere possit, notamus sequentia. Si diu continuare usum, ut in morbo vehementi aut chronico, oportet, eligendus talis est in quo sulphuris adjectio non nimis parca sit: saltem non minor sit proportio ad mercurium, quam dimidia. Talis absque metu dari potest adulto quotidie ad drachmam integram: sed melius videtur partiri dosin & mane vesperique drachmam semis offerre. Infanti tenerrimo grana quinque conveniunt. Si vero paucis dosibus res confici potest, melior erit qui ex tribus mercurii, una sulphuris parte paratus est. Quo magis expulsores intentionem in primis, resolutoriam in postremis collocare par videtur, ut in affectibus cutaneis, scabie, varis, pustulis, affectibus pruriginosis & ex parte catarrhalibus, ibi magis convenit Æthiops mineralis æquali portione sulphuris & mercurii paratus: qui idem ad vermes profligandos non incommodus deprehenditur. In luis venereæ summo vigore, ut ab initio morbi in valde infestis, aut ubi malum est chronicum & jam prægressis curationibus corruptum, *Vo GAUCKES* l. c. non suadet confidere æthiopi, sed potius præcipitatum rubrum laudat: quod apud ipsum auctorem plenius legatur.

## §. XIX.

Ubicunque quis optatam a medicinæ hujus usu operam sperat, maxime opus est eam convenienti regimine adjuvare. In longis itaque morbis, & ubi glandularum tumores resolvendos suscepimus, aut ulceroforum affectuum curationem experimus, in primis opus est corpus ita dispositum tenere, ut nihil sit quod continuo blandæ transpirationis successui officiat. Melius itaque instituimus usum, ubi res moram

moram patitur, serena & tranquilla tempestate, quam humida: quo tempore, si cælum faveat, in publicum etiam prodire & deambulare nihil prohibet: si frigus & nebulosus pluvius aer fuerit, melius est, immo necessarium, domi remanere & foci, vel fornacis, beneficio modeste frui. Sed nihil æque effectum salutarem adjuvat sufficienti humectatione, quam præstolari licet ab usu infusi cujusdam commodi, ex sarsaparilla, china, rad. bardanæ, polypodii, pimpinellæ albæ & similibus, quibus ad gratiam conciliandam, & ob non illaudatas vires, merito additur glycyrrhiza. Harum specierum, postquam infuso inservierunt, vires nondum exhaustæ sunt, quare ipsis, exhausta jam infusæ aqua, affundi nova potest, novis additis quoque speciebus, & decoctione longiori parari potus, quem ordinarii loco curandus per totum diem bibat. Si ejusmodi potus non arrideat, solum theæ infusum, crebrius haustum, non male substituetur, præsertim si tincturam lignorum interponamus, aut, quæ magis arridet in venereo malo, essentiam lignorum ab *Yvone GAUCHE* l. c. p. 214. describam.

## §. XX.

Ciborum delectum magnopere haberi non opus est: temperantiam autem & evpeptorum adsumptionem, omni ægotanti & curando necessariam, seorsim inculcare nulla necessitas postulat. Nec alia circa rerum non naturalium usum præcipienda habeo, quam quæ sanis omnibus tenenda sunt. Forte hoc admonitionem meretur alvi successum continuo esse respiciendum, ne, sub transpiratione auctiori, forte siccescat & induretur. Perplacet consilium D. D. *JUNGKENII*, quod in lexico pharmaceutico exponit, nimirum ut quarto quoque die laxans aliquod interponatur: in quo quidem bene ipsi convenit cum præceptore meo

omni pietate & obsequio ætatem colendo D. D. SCHULZE, ordinis medici h. t. Decano, a quo, cum aliis ad univerſam rem medicam pertinentibus, etiam de æthiopsis mineralis usu præcepta omnia, potiffimum accepi. Is vero ſoler, ubi plures dies uſui medicinæ dandos eſſe prævidet, ita paritari negotium, ut poſt tres quosque dies unum ab uſu ejus vacuum relinquat, ſequente autem alvum blanda medicina laxante expurget, quo factò per tres alios eidem inſiſtit, & reliqua uſque ad curationis finem eodem ordine peragit.

## §. XXI.

Videmur ſatis multa dixiſſe in genere de viribus æthiopsis mineralis & adhibendi legibus: tempeſtivum nunc viderur progredi ad id, quod porro promiſimus, nimirum ut virtutes medicinæ noſtræ testimoniis & exemplis, ubi illa ſuppent, comprobemus. Faciamus initium a virtute anthelmintica, quo nomine in praxi MAYERNIANA unice, quantum obſervare licuit, commendatur, p. 231. ſed cum ſingulari excitatione attentionis, his verbis: NB. Perplacet mihi æthiops, compoſitus ex mercurio & ſulphure, quæ duo vermes potenter enecant. Exemplum felicitatis curationis legitur in obſervationibus HARRISII, libello de morbis ac. infant. ſubjectis, pag. 135. Scilicet puer XIII. annorum atrophia verminofa adeo emaciatus fuit, ut, ſceletò ſimillimus, de altera conclavis parte in alteram vix limacis more reperet. Ex morbo fatuus, & rationis omnino expers fuit: omnes ejus excretiones, ſive per urinam, ſive per ſedem, fuerunt interdium in braccas, noctu in lectum, involuntarie emiſſæ. Huic, inquit, indies exhibebam Æthiopsis mineralis, quem in uſu habeo, gr. xxv. aut drachm. ſem. mane & vèſperi, corpus interim blandiſſime laxando quarta quæ



que die. Complures illinc lumbricos per alvum excrevit, atque deinceps *ευχυμος* & *ευσαγνος* paulo post evasit.

## §. XXII.

Facile fuerit concludere, quum legamus hoc loco atrophiam cessasse causa ejus, quæ vermes in hoc subjecto fuerant, sublata, etiam alios morbos, qui plurimi sane a vermibus pendent, miro schemate ludentes, per æthiopem feliciter vinci posse, præsertim epilepsiam, aut animalium functionum alia vitia, quæ sæpe medicum, ne de rudibus in arte dicam, atronitos detinent. Adferam in hanc rem historiam curationis a D. D. SCHULZE communicatam. Puella paupercula XX. circiter annorum ex famulitio honorati viri dimitti debebat, quod subinde epilepsia correpta subito procidebat. Quum heri domo relicta non haberet ex quo commode viveret, & hiberna tempestas esset, cogebatur rebus suis utcumque consulere & ab illo collegio, quod pauperum curam sustinet, opem efflagitare; sed & interea subinde familiam, ex qua ipsam morbus eiecerat, elemosynam flagitabat, ipsa interim indies deterius valetudinem fieri cum dolore animadvertens. Accidit itaque, ut ægrota adesset, quum & ipse medicus negotiorum causa in domo illa versaretur, ipsique commendaretur, sumtus in curationem erogandos liberaliter promittente pristina hera. Non facillimum videbatur invenire qua parte prius succurrendum esset puellæ simul epilepticæ, cachecticæ, œdematosa & mensium obstructione laboranti. Cepit vero consilium experiendi vires æthiopis mineralis, cujus instituendo usui favere videbatur veris jam adulti gratia. Cum de necessariis omnibus prospectum esset, post laxationem, pilulis ad modum Beccherianarum confectis, peractam, sedecim doses æthiopis dedit, ea conditione sumendas, ut supra

§. XX. innui. Effectus is fuit, ut post paucos dies multi excernerentur vermes, menstrua deinde emicarent, epilepsia rarius infestaret, cachexia manifeste emendaretur, quumque, redeunte menstrua periodo, feliciter expedita esset & in ordinem redacta hæc purgatio, cum sanitate in gratiam plene rediit, ut posset sese servitiis familiæ iterum addicere.

§. XXIII.

Progredimur ad virtutem glandulas induratas referandi indeque pendentes exulcerationes feliciter sanandi, cujus specimen insigne, & ab usu æthiopis primo, spem omnem superans, observavit idem, quem bis dixi, præceptor meus, idemque cum auditoribus in prælectionibus chirurgicis communicavit. Erat ipsi Halæ A. MDCCCXVI. in ædibus Illustris *Friederici* HOFFMANNI familiaris convictor, tunc medicinæ candidatus, qui nunc apud Gedanenses, nisi fallor, medicinam exercet D. D. BLUEDORN, a quo æthiopis usus crebris sermonibus ferebatur. Accidit non multo post ut in patriam iter necessarium susciperet, ibique in ædibus viri admodum reverendi videret puellam XII. annorum, quæ variis catarrhalibus malis misere per plures annos vexata & lucem solis & conspectum hominum effugiebat, alteram sibi molestam, alterum, ne molestiam crearet ingrato odore saniei flavæ, quæ ex ejus dextra aure continuo fluebat, non solum per meatum auditorium, sed & per foramen post aures, ex quo in meatum poterat stilus intrudi. Erant autem glandulæ colli & menti valde tumefactæ & induratae. In memoriam ipsi veniebat æthiops mineralis; quare medicinam transmittere pollicebatur. Mittebat XVI. doses partitis vicibus sumendas, cum speciebus pro infuso & pillulis jam commemoratis, hac conditione adjecta,

adjecta, ne prius inciperetur curatio, quam finientis tunc auctumni inconstans & pluvia tempestas cum sereniore & constante mutata esset. Formula remedii hæc erat: Rec. Æthiop. miner. unc. sem. pulv. cinnam. sacchar. canar. ana drachm. j. olei cinnamom. gtt. jv. M. div. in 16. p. æq. Quum inter spem ac metum transegisset tres menses, a parentibus lætissimis significabatur exoptatissima omnis mali fuga, iidemque mirabantur litteris suis, qui potuisset medicina quantitati mali devincendi tam accurate commensurari. Is gratis Deo peractis, maxime mirabatur, qui fieri potuisset, ut multorum annorum fistula pone aurem solo hoc præsidio, absque manuali ope, persanata fuerit. Vivit adhuc salva & vegeta hæc mulier, & jam, viro elocata mater fecunda, pristinorum malorum immunis degit, nullo, quod significatum sit, ex illo tempore morbo tentata.

## §. XXIV.

Transimus ad exponendum usum æthiopis mineralis in catarrhalibus decubitis humorum, ad tunicas secretorium & excretionum dispensatrices narium, faucium, palati, asperæ arteriæ & bronchiorum pulmonalium. His sæpe accidit a tempestate incommoda, auctumno præsertim adultiori & vere, a frigore humido constringi, intumescere, multisque incommodis hominem exponere. Fere junguntur tumores glandulorum corporum in interiori faucium isthmo, unde molesta primum, mox fere impossibilis deglutitio redditur, nec raro febriles commotiones accedunt. Estque hic adfectus præ reliquis familiaris in hac urbe advenis, donec cælo magis adsuescant. Quum identidem illo primis annis suæ commorationis Altorfinæ vexaretur D. D. SCHUIZE, eodemque gravissime premeretur ante hos duos annos, jamque in tertium diem ingravesceret degluti

glutitionis impedimentum, cogitare cepit de æthiopis mineralis efficacia experienda, quod tentamen adeo pulcre cessit, ut, quum primam dosin mane, post meridiem alteram sumisset, vesperi sine incommodo cibum caperet. Ex quo tempore quoties in se vel aliis idem incommodum occurrit, nulla alia medicina utitur, nec aliam desiderare opus fuit. Non multo dissimilem effectum Halæ in viri summe reverendi filio ante annos plusculos vidit, qui catarrhalibus plurimis molestiis, simul vero tumore palpebrarum, & crebris pustulis circa os, una nocte exortis, limpido humore subfusco turgentibus, & ardentibus, vexabatur, cum febrilibus commotionibus. Quum mater persuasum haberet puerum verbibus laborare, æthiopis mineralis aliquot doses porrigebantur, quibus adsumtis mox in gratiam cum morbo redibat, verbibus quidem nullis tunc exclusis.

§. XXV.

Scabiei curandæ a pluribus auctoribus commendatur. Nominasse sufficit JUNGKENIUM l. c. ubi testatur, quod scabiem inveteratam profliget: & ALLENIUM in synopsi universæ medic. practic. p. 294. Quum pluries certum effectum in hac curatione observare liceat, nulla adjicere exempla necessarium videtur: duo tantum ex communicatione D. D. SCHULZE addo, scilicet ante biennium ipsi feliciter cessisse experimentum varos faciem sæde exulcerantes curandi æthiopis usû, adjuncto decocto rubiæ tinctorum in pharmacopœa Bateana descripto: & quod æthiopis effectum certum viderit in epilepsia ex retropulsis achoribus in puero XII. annorum suborta. Idem meminit virginis jam adultioris scabie valde ulcerosa, sed facile evanescente, succedentibus doloribus rhevmaticis, per vices afflictæ, de cetero manifesto scorbuticæ, cui nihil æque profuit ac æthi-  
pis

pis usus: quod fidem facit ALLENI asserto, apud multos forte paradoxo, qui remedia scorbutica peritus placitura p. 238. indicaturus, primo loco ponit *Æthiopem mineralem*: quamquam & DOLÆUS, ab ipso ALLENIO pag. 230. adductus scorbuto mercurialia pridem destinavit. Adscribam integrum locum: Omnem scorbutum feliciter intra XII. dies, faventibus diis, tollam, per mercurium dulcem: & revera dulcificatur singulari & peculiari motu sublimatum, ut duntaxat sudorem moveat & nullam efficiat salivationem, cujus ope omnes scorbuti humores intra prædictum tempus consumuntur & educuntur: sed durante hac cura nihil bibendum nisi decoctum appropriatum, & ab acidis & carne suilla abstinendum. Videtur DOLÆUS non tam de scorbuto nautico hic cogitasse, quam de humorum impuritate scorbutica. Judicent autem alii an non verosimile sit auctorem ænigma aliquod hic scripsisse & *æthiopem mineralem* in animo habuisse? Saltem hoc persuasum habeo, quaviscunque mercuriali alia medicina tutiorem fore, in scorbutica humorum impuritate, nostrum remedium.

## §. XXVI.

Virtute antivenerea potissimum celebratur in pharmacopœa Bateana, ut & apud JUNGKENIUM. Sed nemo plenius usum exposuit *Fvone* GAUCKES sæpius laudati libri cap. XXIV. Fateretur autem esse lenissimum, quodque non semper satis proficiat vel in recenti malo, quod repugnat, vel in eo quod nimis inveteratum est: quare efficaciores cuneos duris nodis ibidem proponit, quos non contemnendos esse, sed nec omnibus æque tolerabiles, experientia docet. Adeundum suademus ipsum auctorem, quem Germanica translatione in tonsorum manus tam cito tradi

D

non

non erat e re medicorum, verendumque est, ne imperito generosissimorum remedium usu, pro familiari huic hominum generi audacia, multis noceant, saltem medicorum iusta emolumenta atterant.

§. XXVII.

Porro ad hydropem curandum in pharmacopœa Bateana commendatur. Credo equidem operæ pretium futurum potius in leucophlegmatia & cachexia inveterata, quam in illa, ubi jam vasa lymphatica fuerunt disrupta. Glandularum certe obstructions & indurationes, ipsiusque lymphæ visciditatem, satis bene corrigit: sed integram ab hoc solo remedio curationem nemini promittere ausim. In œdematibus non exiguam spondet opem, si a causa curabili pendeant. Novimus nuper in cane, qui subito hydropicus factus fuerat, felici successu æthiopem minerali, cum elaterio & croco metallorum in bolum redactum, fuisse exhibitum. Curationum in hominibus hoc remedio peractarum exempla non obtigerunt.

§. XXVIII.

Ultimo loco reservavimus quæstionem, an æthiops mineralis dari possit feбри aliqua laboranti? & an operæ pretium in quartanæ curatione expectari ab ipso possit? Et primo quidem assero in catarrhalibus benignis, quippe quæ omnes mere sunt secundariæ, aut, si mavis, symptomatice, curationem illum retardare, qui febris potius rationem habere velit, quam stagnationis lymphaticæ: hac sublata febris, secundum proportionem fugientis causæ, decrescet. De quartana seorsim nullum est dubium, quin mercurialia recte adhibita, & mercurialium tutissimus æthiops mineralis, arcem causæ ejus directe aggrediantur, oppugnent & tandem expugnent. Diu observatum est eadem

eadem esse quartanæ febris & luis venereæ remedia, quumque labes viscerum, scilicet induratio, scirrhescentia, obstructio, morbum foveant, scabies suppressa sæpe eum inducat, eademque iterum prodiens feliciter auferat, porroque morborum historiæ addoceant, haud raro intestina quartana laborantium lumbricis scatere: quis non videt quam vario respectu exoptatam hic ferre opem possit remedium, quod in talibus emendandis spectatissimæ est virtutis. Sed jam ante me latius de hoc argumento superiori anno actum est in dissertatione inaugurali de febre quartana duplici cum hemicrania §. XXXV. seqq. hic habita.

## §. XXIX.

Poterant addi plura & seorsim demonstrari, etiam experimentis probari, usus quem præstitit viro aurium continuo susurro a longo tempore sic laboranti, ut non obsecurum esset quantum auditus indies magis hebetaretur & decreveret. Sed cum ad intelligendum nexum operationis cum causâ morbi longior declaratio exigatur, quam pro meo instituto & temporis ratione hic inseri possit: spem facere lectori possum fore ut de hoc argumento propediem aliquam commentatiunculam evolvere possit. Nunc progredior ad diluendum objectiones quasdam aut dubitationes, quas vel suboriri posse lectori prævidemus, vel hinc inde colligere licuit prolatas. Et primo quidem erunt, qui indignabuntur, laudari remedium mercuriale quod non sit fixum, sed facili arte reduci & currentem pristinam naturam recuperare possit, quale, HELMONTII iudicio, nullam laudem meretur, ejus mercurius fixus diaphoreticus indagari & divulgari debeat. Quibus quidem respondemus, nos nescire an umquam HELMONTIUS talem mercurium possederit, an vero magnificum promissum eo-

dem loco habendum sit, quo illa gloriatio de multis ægrotorum myriadibus, quos suis medicinis sanitati singulis annis restituerit, ille nimirum ÆSCULAPIUS, in urbe suam cognitus, ut peregrini ægre ex proximis vicinis expiscari possent, in quam domo lares posuerit. Hoc vero scimus, æthiopem mineralem satis esse fixum pro usu interno medico, nec tamen viribus ita castratum, ut prorsus nihil faciat. Qui tanto molimine quærent in ignis etiam tortura constantem, videant quo scopo quærant, & si forte inveniant, quantum nostro æthiope melior sit rerum fide demonstrent. Erimus ex primis qui fausta acclamatione felici invento congratulabuntur, & magnum naturæ mystam venerabuntur.

## §. XXX.

Alii sordidum medicamentum fastidient, si forte observationem: de æthiope minerali sanguine regis abluto illustrato & nobilitato, legerint, ex qua sequentia nobis dicta putamus: quando mercurius nigredine non spoliatur merito *κακομέλας* est vocandus. Nam quoties in Æthiope minerali mercurius crudus cum sulphure teritur, uti ipsum describunt, toties sulphur arsenicale mercurii extravertitur & pulvis fit niger, sicque Æthiops cum stercore suo exhibetur. Quis non fastidiat medicinam stercoream? Sed quærere liceat, an ipsemet auctor hujus scommatis intelligat, quid sit in mercurio sulphur arsenicale a mercurio separabile? quid illud extraverti ut nigredo inde fiat? vereor ne omnia sint vocum sine sensu crepitacula. Esto autem nigredinem mercurii tam indecoro nomine dignam esse; quo ipse pacto excusabit suum factum, si quis ipsi suam cinnabarin solarem facili negotio expediat vinculis, currentemque reddat, hoc est, ut mitissime dicam, non minus.



minus quam ante fuerat, ex sua hypothefi, sordidum. Sed licet ipfi, & cuicumque cum ipfo placet, pretiofam medicinam, per regem illustratam & illuminatam, in regum & magnatum, qui compensare possint, usus adhibere: nobis interim liceat simplicitate medicamenti boni, quo & pauperrimo efficaciter succurrere possimus, gaudere.

## §. XXXI.

Si quis existimaverit nos superfedere potuisse hoc commentationis labore, quum, quæ in usu apud omnes sunt, cinnabaris & mercurius dulcis, idem, quod de æthiops minerali polliciti sumus, præstare possint: ipsi respondere liceat neutiquam nos permittere posse, ut credatur nihil inter hæc remedia interesse, ut quodvis eorum præster, quod ab uno expectare possis. Nam si demus utique posse cinnabarim, posse mercurium dulcem, aliquamdiu, sub directione providi medici, dari sine salivationis eventu, non tamen æque sine metu dari concedimus. Et si dari possit, manebit tamen æthiopsi nostro hæc prærogativa, quod sine magno vel apparatu vel sumptu parari queat in quovis terrarum loco, ubi sulphur, ubi argentum vivum ad manus sunt, quod de mercurio dulci & cinnabari non licebit æque nobis promittere: & quod error in dosi & continuatione forte admissus longe minus periculum secum ferat.

## §. XXXII.

Admonitum alicubi, bono animo, video æthiopsi largiorem dosim onerosam esse: cujus quidem sensum non satis capio. Sive enim mens hæc est, molestum esse in hoc remedio, quod non possimus parva quantitate intentioni satisfacere, adeoque sumentis incommodum a diffusiori mole enasci debeat; puto sane hoc, quantulumcunque est,

D 3:

incom-

incommodum compensari eo, quod nulla gustus offensio cum quantitate hac concurrat. Vidimus infantes, quos hæc moles adeo non offendit, ut, persuasi chocolætæ pulverem sibi dari, quoniam saccharum & cinnamomum admixtum erat, a matribus idem efflagitarent exhiberi sibi hanc medicinam. Sive eo tendit admonitio, oneris quasi prementis sensum in ventriculo ab ejus usu percipi, quod memini vitio dari antimonio crudo in pollinem tenuissimum redacto & adsumto: sancte testari possum, me nec ipsum, quam diversis temporibus pulverem aliquoties sumserim, illam percepisse molestiam, nec ullum eorum, qui usum experti sunt, de eo fuisse conquestum. Nec video qui possit multum premere pulvis subtilissimus, & sulphuris admixtione eam indolem nactus, ut in liquoribus non facile fundum petat, adeoque vel hoc nomine, ut facilius in cochleari cum vehiculo subigatur, saccharo & vegetabili quodam pulvere, e. g. cinnamomo, permiscendus. Ceterum non displicet admonitio de æthiopæ subtilissime terendo ante exhibitionem, quo eventus hic præcaveatur: quod eo magis puto necessarium, ut pharmacopœo inculcetur circa æthiopem mineralem methodo HARRISIANA factum, quem Illustris Dn. D. *Job. Maur. HOFFMANNUS* de omni medicina, sed præcipue de Altorfina universitate meritissimus, in actis laborat. chemic. p. 165. concinno nomine apyron vocat. Nam licet ad nauseam usque in præparatione terendus fuit, si tamen aliquandiu asservetur, tandem coire plures atomi ad massam siccam duramque constituere observantur, ut studiosa tritura ante usum omnino opus habeat: quod & usus docet, & pridem admonuit LEMMERY, sæpius a nobis laudatus, l. c. p. 225. Idem ne accidat facile in jam a pharmacopœo dispensaris pulveribus, pro multis dosibus diutiuscu-

tiuscule afferendis, sæpeque peregre transmittendis, prohibet pulveris cinnamomi admixtio, etiam hoc nomine maxime suadenda & utilissima.

## §. XXXIII.


Gravissimam omnium objectionem ultimo loco reservavimus, cui quo pacto satis blande obviam ire debeamus vix reperimus, quum non tam existimaticnem medicinæ, quam honestatem & famam medici tangat. Nimirum ante non multos annos incidimus in libellum vernaculo sermone a magni nominis viro exaratum, qui curam valetudinis infantum in titulo pollicetur. Quum illum avidè perlegeremus, non sine admiratione vidimus in cinnabarina, quæ infantibus dantur, absque tergiversatione tam acerbe auctorem invehi, ut medicos, talia infantili ætati porrigentes, vix meliores illis habeat, qui infame venenum, quod Galli la poudre de la succession vocant, dispensant. Quisquis vero de cinnabari tam tristem sententiam ferre non dubitat, qui possit credi mitius esse laturum iudicium de æthiops minerali, ipsiusque virtutum adsertore, quum fit æthiops mineralis cinnabaris rudimentum, ejusque partes constituentes omnes contineat? præsertim si viderit nos nihil vereri ipsum tenerrimis infantibus, tamquam securissimam medicinam, destinare & commendare; quod quidem, ne nos vacillare quisquam putet, iterum nunc profiteremur esse ipsissimam mentem nostram: scilicet cinnabarim, sub debita circumspectione, teneris infantibus tuto, tutius autem æthiopem mineralem præberi.

## §. XXXIV.

Nemini quidem, scriptum illud legenti, obscurum esse potest illum auctorem ad certos quosdam medicinarum dispensatores animum, calamumque intendisse: sed non debeant,

bebant, equidem puto, rot infantes medici, qui neminis commoda intervertunt, tam atroci accusatione onerari, in re per se iusta & humani generis emolumentum commune spectante. Neque tamen satis mirari possumus, qui fiat ut nemo illorum, quos tam atrox accusatio intenso digito attingit, calamum stringere famæque necessariam, quantum existimo, defensionem suscipere, ad hunc diem, quod quidem audire licuerit, ausus sit, quum rei iustissimæ, bono causæ patrono, paratissima videatur victoria. Mihi ad defensionem cinnabarinorum & æthiopis mineralis infantibus morbis opponendorum, dicere sufficit vivere & adlevisse rot homines, quibus infantibus talia ad morbos profligandos data sunt, ut, si opus esset, numerosus cogi exercitus possit, qui medicinarum hujusmodi, & medicorum exhibentium, innocentiam realissimo testimonio vindicet, & atrocis imputationis falsitatem ostendat. Sed pedem aliquando figimus, & dictis de Æthiopsis mineralis blanda ingenuaque indole, prorsus candida, tempestivum imponimus

F I N E M.




00 A 6326 (1)

VD 18

ULB Halle 3  
004 103 416







Q. B. F. Q. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**AETHIOPE  
MINERALI,**

QUAM  
SENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ALMA STUDIORUM UNIVERSITATE ALTORFINA  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI

A. D. XVI. OCTOBR. MDCCXXV.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

**IOANNES FRIDERICUS SCHROMMIUS,**

CREILSHEMIA - ONOLDINUS.



LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.